Entstehungsort unbestimmt, 2. Hälfte 15. Jh.

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35461
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift



mans in neptalim, et ipse habebat basmath filiam salomonis in uxorem. Baana filius sui in aser et in baloth. Josaph ad filius pharue in issachar, semei filius hela in benjamin, gaber filius uri in terra galaad et in terra seon regis amorrei, at ogi regis basan, super omnia que erant in illa terra fuerunt et isti in numerabiles quasi arena maris in multitudine comedentes et bibentes atque letantes. Salomon autem in ditione sua tenebat omnia regna trans flumen a fluuio terre philistinorum usque ad terminum egipti offerentium sibi munera et seruientium ei cunctis diebus vite sue. Et erat cibus salomonis per singulos dies xxx chori similae et lx chori farine, decem boues pingues et xx boues pastuales et centum arietes ex capta venatione cervorum caprearum atque bubalorum et auium et altilium. Ipse enim obtinebat omnem regionem que erat trans flumen quasi a thapsa usque gaza et cunctos reges illarum regionum et habebat pace ex omni parte in circuitu. Habitabantque iuda et israel absque timore ullo unusquisque sub umbra sua et sub ficu sua a dan usque bersabee cunctis diebus salomonis. Et habebat salomon xl milia presepia equorum currilium et xii milia equestrium. Nutriebantque eos suppositi regis presecti. Sed et necessaria regionis salomonis cui in genti cura habebat in tempore suo. Credimus quod et paleas equorum et iumentorum deferebant in locum ubi erat rex iuxta institutum sibi. Dedit quoque deus sapientiam salomoni et prudentiam multam nimis et latitudinem cordis quasi arenam que est in littore maris. Et procedebat sapientia salomonis sapientiam omnium orientalium et egiptiorum et erat sapientior cunctis hominibus sapientior ethan ezraite et eman et chalchol et darda filiis mahol et erat nominatus in omnibus gentibus per circuitum. Locutusque salomon tria milia parabolas et fuerunt carmina eius quinque milia. Et disputauit super lignis a cedro que est in libano usque ad hisopum que egreditur de parete et de pecoribus et uolucribus et reptilibus et piscibus. Et venebant de cunctis populis ad audiendam sapientiam salomonis et ab omnibus regibus terre qui audiebant sapientiam eius.

Capitulum quintum

Misit quoque hiram rex tiri seruos suos ad salomonem audiuit enim quod ipsum unxisset regem pro patre eius quia amicus fuerat hiram dauid omni tempore. Misit autem et salomon ad hiram dicens: Tu scis voluntatem dauid patris mei et quia non potuerit edificare domum nomini domini sui propter bella imminentia per circuitum donec daret eos dominus sub uestigio pedum eius. Nunc autem requiem dedit michi dominus deus meus per circuitum et non est satan neque occurrit malum. Quamobrem rogito edificare